

ipsi posset aliquos ad conflictum provocare. Quo cognito
 filius dicti Caroli expulsi prefatos insidiatores navali
 bello aggressus victus et captus fuit ab eisdem cum
 multis, pluribus interfectis et submersis, qui, sicut ignari
 preliorum navalium fuerunt, experti sunt quod non
 fuit ludus in undis. Interim dictus rex Francie
 1285 oct. 5. antequam reverteretur de expeditione Aragonie obiit,
 similiter et dictus Carolus de Sicilia expulsus non diu
 postmodum est defunctus.

1287 mart. Rodolphus igitur rex Romanorum maximum con-
 ventum principum et regni nobilium habens in civitate
 Herbipolensi ipse eum convenerat prius ex condito
 cum Martino papa IV., quod de omnibus terris arabilibus
 regni Germanie certam ipsi simul volebant exigere
 pecunie quantitatem, impositionemque huiusmodi
 tributi posuit in publico. Sed valentissimus tunc
 prelatorum regni Coloniensis archiepiscopus hinc in-
 audite exactioni forti animo et mira constantia coram
 omnibus contradixit, et sic res ipsa periculosa remansit
 infecta, et patria remansit ab huiusmodi tributo per indu-
 striam tanti prelati usque hodie liberata. ||

Inter ea quidam homo rusticanus cunctis ignotus
 menciens se fore Fredericum imperatorem secundum
 dudum defunctum sub hac fallendi specie presump-
 tuoso conamine Coloniā accessit. Sed paulo post inde

47 Sifridus de Westerburg.

47 Stäper de isto impostore accurate agit Meyer, Die Kolon. Weiblar. progr. 1868.

Thyl. in Chron. Jo. M. et Mart. napoli et
 in hist. Mart. et Chron. p. 108.